



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De domino Geuardo Abbate, qui monachos in sermone dormitantes per
fabulam excitavit, cap. 36

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

intentione proferunt, & eadem semiplenè prolata
 porcis, id est dæmonibus, colligenda projiciunt. Hi
 verò qui vigilant, & libenter deuotequè cantant, &
 psallunt intentè, medullam comedunt, quia gratiam,
 quæ in verbis latet propheticis, percipiunt: tales in
 futuro, cum laudatoribus cælestis Ierusalem, adipe
 frumenti Dominus satiabit, id est, visione suæ deitatis.
 APOLLONIVS: Satis ex his quæ dicta sunt colligo,
 quòd tædium exercitij spiritualis sit à diabolo. CAESARIUS:
 Vt dicis ita est, quia quidam sunt qui statim
 vt ceperint psallere, orare, & legere, mox dormire
 incipiunt, vigiles in lecto, somnolenti in choro.
 Idem dico de audiendò verbum Dei: cum verba se-
 cularia audiunt, bene vigilant: cum verbum Dei eis
 proponitur, mox dormitant.

CAPVT XXXVI.

IN solemnitate quadam, cum Abbas Geuardus,
 antecessor huius qui nunc est, verbum exhortatio-
 nis in capitulo ad nos faceret, & plures, maximè
 de Conuersis, dormire, nonnullos etiam stertere
 conspiceret, exclamauit: Audite fratres, audite, rem
 vobis nouam & magnam proponam. Rex quidam
 fuit qui Artus vocabatur. Hoc dicto, non processit,
 sed ait: Videte fra tres miseriam magnam; quando lo-
 cutus sum de Deo, dormitastis: mox vt verba leuita-
 tis inserui, euigilantes erectis auribus omnes auscul-
 tare cœpistis. Ego eidem sermone interfui. Non so-
 lum personas spirituales, sed & seculares diabolus per
 somnolentiam tenet & impedit.

CAPVT XXXVII.

MILES quidam Bonnenfis, Henricus nomine, tẽ-
 pore quodam quadragesimali carenam fecit a-
 pud nos. Postquam reuersus est in domum suam, die
 quadam occurrens prædicto Geuardo Abbati, ait ad
 illum: Domine Abbas, vendite mihi lapidem illum,
 qui iuxta talem columnam oratorij vestri iacet, & e-
 go dabo pro illo quicquid postulaueritis. Cui cum
 diceret: Ad quid vobis est necessarius? respondit: E-
 go illum ponere volo ad lectum meum, quia talis est
 natura